

Quando imperator *Fredericus* [a] venit *Ymolam*, et tunc nostri duxerunt
ad plebem *Corletae*. [b]

CAP. LXII.

Anno vero [d] Domini MCLXVII, circa finem Januarii, cum esset praefatus imperator parva militum comitatus caterva [c] non enim inter Teutonicos [d] et laicos, secum tunc centum habebat, iverunt Faventinorum rectores ad eum, sua sicut domino tanto promissuri servitia; qui protinus eis potestatem concessit ducendi eum quo vel-
lent. Ipsi autem, similes illis qui majorem reverentiam timoris [e] exhibent malignis, quam benignis amoris, ipsum dominum cum ejus militibus de comitatu *Ymolae* per sylvas, et de unaquaque ad plebem duxere *Corletae* [f], ubi eum derelinquentes in die illa in nullo ei servire, quod minime decuit [g], curaverunt. Sequenti vero die, collo-
cato domino summo mane apud Sanctum Martinum [h] in strata, milites ejus usque ad portam *Durbechi* [i] insultum facientes, quos invenerunt, capere et in ore gladii perimere laboraverunt pro posse. Ceperunt praeterea [j] rusticos multos atque ur-
banos, in villis et agris laborantes, secure [k]; bovum quoque [l] et ovium atque aliorum animalium praedam duxerunt non parvam. Facto ergo in civitate plandtu et stridore maximo, omnes lapidandos rectores clamabant, eo quod tantum dominum tanque pium [m] in civitatem minime receperant [n], cui servire fidelissime optabant. Die siquidem tertia, magnates civitatis atque consules verecundiam et ruborem sub-
stinuerunt [o] non modicam. Ad dominum timentes iverunt Imperatorem, ad cujus pedes procidentes, se confessi sunt fecisse inique; quibus post increpationes multas omnem offensam princeps clemens dimisit, praecipiens cunctos absolvi; captivos et animalia reddi, quae in castris invenirentur.

- [a] Imperator *Fredericus*. In C. M., Imperator *F.* — [b] Anno vero, C. M. In C. V. deest vero. — [c] comitatus caterva. Sic Codd., loco comitante caterva. — [d] teutonicos, C. V. In C. M., teotonicos. — [e] majorem reverentiam timoris. Sic C. V. In C. M., marem reverenciam timueris. — [f] quod minime decuit, C. V. In C. M., Cl. Mitt. legit quam minime decuit. — [g] Ceperunt praeterea. Sic lego cum C. V.; ceperunt propterea legit Cl. Mitt. — [h] laborantes secure, C. V. In C. M., laborantes securre. — [i] bovum quoque, C. V. In C. M., boum quoque. — [j] tanque pium. Sic lego cum Cl. Mitt. In C. V. tanque pium. — [k] in civitatem minime receperunt. In Codd., in civitate minime receperunt. — [l] verecundiam et ruborem substinuerunt. Sic legendum. In C. M., verecundia et rubure substinuerunt.

[A] Plebs *Corletae* subter viam *Aemiliam* est, distatque ab ea mille passuum intervallo, ab urbe vero, qua ortum respicit, quinque milliariis.

[B] Ad meridiem est, fere milliario uno procul a suburbio *Faventiae*.

[C] Porta haec nunc dicitur *Porta delle Chiavi*.

Unus huius Regis

ano dñi MCXIX circa fine Januarii en cet
fixatus 2

non huius Regis
Regis huius dñi. mit andur Pader ab Regis